

non immerito a philosophis centrum gravitatis appellatur, omnia si qui dem grauia ex natura sua in loco inferiori querunt esse, vt & experientia didicimus, & ratione naturali: Non enim est maior ratio, cur graue aliquod potius hic extra centrum, quã ibi naturaliter velit esse, cum omnis pars remota a centro propinquior cælo existat, & propterea in superiori loco. Ex quo sequitur aquam, cum & ipsa grauis sit, suapte natura confluere ad loca decliuiora, vt possit centrum totius vniuersi æqualiter ambire, ne vna pars sit in superiori loco quam altera, cum non impediatur: illud. n. esset contra ipsius naturam. Atque hoc supra Arist. in ratione adducta assumpsisse visus est. Ita igitur cum omnibus Astronomis dicimus, tã superficiem conuexam terræ quam aque vndique a centro totius mundi æqualiter distare, atq; idcirco vnum & idem esse centrum horum duorum elementorum, nempe centrum totius vniuersi, ita vt superficies conuexa vnius nullo modo superficiem conuexam alterius interfecet, vt volebant superiores opiniones: sed superficies conuexa aque continetur cum superficie conuexa terræ, efficiatur que ex vtraque vna; quod quidem licet facillime cuius recte gravitatem cuiusque elementi ponderanti persuaderi possit: nonnullis tamen idipsam iam rationibus demonstrabimus, quarum prima sit.

IN QVACVQVE orbis parte per eandem omnino aeris lineam descendunt & terra & aqua non impedita, sed libere demissæ. Petunt igitur idem centrum prorsus, quod paulo ante diximus esse centrum totius vniuersi, & ex consequenti vnum globum constituunt. Antecedens constat experimẽto: consecutio vero demonstratur a Mathematicis. Ex opposito enim consequentis insertur oppositum antecedentis. Nam si duo grauia ab aliquo puncto demissa in quocunq; mundi loco diuersa centra petunt, per diuersas quoque lineas descendant, necesse est; Quamuis enim ex illo loco, qui vtrique centro per vnam eandemque lineam rectam respondet, demissa descenderent secundum eandem lineam: ex omnibus tamen alijs locis demissa tenderent per diuersas lineas ad illa duo centra, vt luce clarius in hac conspicias figura, in qua centrum terræ sit B, centrum aque, A. Solum igitur ex puncto E, quod vtrique centro per eandem lineam

